Deo optimo maximo uni & trino, Virgini Deiparæ, & sancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

Cardinalitiis disputationibus manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis trigesimâ-primâ Martii.

M. GUIDONE ERASMO EMMEREZ, Doctore Medico, Præside.

An aër hominem nutriat?

VItâ, cujus summus amor tenet mortales omnes, fragilius nihil. Mors, quæ *terribilium terribilissimum*, in aliquod tempus retardari quidem potest, arte nullâ vitari. Hæc duo ab iisdem sunt & pendent. Principiorum, quibus necessariò constamus, in unum coalitus & permansio, vitæ, eorumdem conflictus, effluxusque, morbi mortisque causæ. Istæc principia nec sunt qualitates nulli inhærentes subjecto, nec quatuor elementa Peripateticorum. Viventium calor non ab igne elementari fictitio, qui sit intùs in corpore. Corporis nostri principia, ut & rerum omnium, salia sunt quæ, quia diversæ speciei, indolis diversæ in se se invicem agunt perpetuò, ex quò insignis fit & constans ipsorum, ac proinde substantiæ nostræ dissipatio, quam, ni assiduè repararetur, subsequeretur mox totius machinæ ruina. Hæc dissipatio nutritione reparatur, quidquid alimenti nomine insignitur, nutrit.

NUTRITIO benè definitur à Medicis, alimenti prius immutati in corporis substantiam conversio. Multa & diversa in hominis alimoniam cedunt: alia solida, liquida alia, aliud denique tenuioris adhuc, subtiliorisque substantiæ. Hæc omnia, quæ communi vocabulo alimenta dicuntur, variè immutata, atque crassioribus particulis liberata sanguini miscentur, cum ipso circulariter, ut aiunt, moventur; & sic itu ac reditu multiplici, qualibet in parte, non in hepate aut in corde solo, ab ipso sanguine sanguinis naturam adipiscuntur (nam à sanguine sanguis): hanc adepta & ex arteriis effusa, substantiam singularum partium trajiciendo, quod, ob continuam dissipationem exhaustum & vacuum, replent aliquâ sui parte consimili figurâ atque magnitudine, dum quod superest liquoris, ab alio appellente semper sanguine, & fibrarum contractione impulsum, quò patet aditus, per venas ad cor refluit. Sic nutriunt alimenta, sic in corporis substantiam convertuntur, & quam quotidiè partes omnes substantiæ suæ jacturam patiuntur, resarciunt.

ALIMENTUM solidum est id omne, quod sub escæ nomine comprehendi potest, sive ex vegetabilium, sive ex animalium sit familia. Ex mineralibus nullum homini alimentum. Liquidum, cujuscunque generis potus complectitur; potus enim omnis, etiam aqua, nutrit. Tenuius subtiliusque, aër est, qui corpus est tenue, perlucens, fluidum solis (in quantum concipi potest) radiis solaribus, aquarum vaporibus, ac terræ exhalationibus constans. Triplex statuitur alimentum, non quòd tres sint corporis nostri substantiæ, aut illarum unaquæque propriam & peculiarem requirat materiam, ex quâ repareturatque conservetur. Alimentum omne, naturæ nostræ familiare, partes omnes, omnem substantiam reficere valet. Aër non spirituosæ tantum, sed & liquidæ & solidæ jacturam ac dissipationem reparat; ut patet ex iis qui per septem aut plures dies absque cibo & potu vivunt; revera aër singularum partium alimentum est, sanguinisque materia.

PROXIMUM & immediatum cujuslibet partis alimentum, sanguis. Remotum & mediatum, omnia ex quibus componitur liquor ille, inter quæ aër non ultimum tenet. Hic inspiratu potissimùm corpus nostrum afficit, ac in ipsum penetrat. Nullus aëri in cerebrum per papillares processus, ad spirituum generationem, peculiaris patet aditus conspicuus & apertus. Spiritus nil nisi pars sanguinis subtilissima in cerebri glandulis cribrata. Sola aspera arteria patens est aëris ostium. Aër singulas asperæ arteriæ divisiones, seu singulos pulmonum lobos pervadit, tum ut pulmonum vesiculas dilatando, atque adeo venas & arterias inter duplices illarum vesicularum membranas latitantes tantisper impellendo, sanguinis circuitum ex parte promoveat; tum maximè ut per earumdem vesicularum interioris membranæ poros se se insinuando, sanguini ad cor redeunti misceatur. Aër sanguini commistus, nitrosâ suâ substantiâ ipsum dividit & attenuat; ejus motum ac calorem, qui motûs effectus est tantùm, concitat magis ac magis, unà cum ipso rapitur & incalescit, omnium denique suarum partium figuram, situm & ordinem mutat, hincque aër sanguinis naturam induit, & novam ubique materiam in locum deperditæ sibi omninò similis, reponit.

MAXIMA aëris necessitas ad vitam, quæ non ex caloris in humido permansione debet æstimari, meliùs ex intestino sanguinis motu, ejusdemque circuitu. Tandiu vivimus, quandiu spiramus aërem. Hic si naturæ nostræ consentiens sit, vita beatior, sanitas optima, singularumque partium felix nutritio; sin contrà, vita miserrima, nulla valetudo, bona partium temperies pervertitur, læditur nutritio, animi denique & corporis functiones omnes obeuntur pejùs. Sunt qui pluvioso aëre gaudent semper & valent, alii sereno: ille puro ac tenui malè se habet, alter crasso: hic sub tali aëre marcore conficitur & languet; at illum mutet, pinguescet continuò & valebit optimè; nec parùm refert sub quo cælo degant qui à morbo convalescunt, nam sub hoc citiùs multò reficiuntur aliqui, tardiùs nonnulli.

Ergo aër hominem nutrit.



Proponebat Lutetiæ ALEXIUS LITTRE, Corduensis, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1689.